



14 DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

1674, 14.

ADMIRALITATE

Q.V.A.M.

DIVINI NUMINIS ADSPIRANTE
GRATIA

EX DECRETO ET AUTHORITATE
MAGNIFICI, AMPLISSIMI
ATQVE CONSULTISSIMI JURISCON-
SULTORUM ORDINIS IN INCLYTA AR-
GENTORATENSIO UNIVERSITATE

Pro


Summis in Utroque Iure Hono-
ribus ac Privilegiis DOCTORALIBUS
rite consequendis,

Solenni Eruditorum Examini submittit


Die 12 Februarij hor. 1. q. consuetis.

FRANCISCUS VASMER,
HAMBURGENSIS.

ARGENTORATI,
Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.
Anno M DC LXXIV.



8



PRAEFATIO.

Cum id quod sub novo *Admiralitatis* vocabulo hic ad Examen inaugurale proponitur argumentum, Romanis quoque veteribus non incognitum fuerit, mirari quis non sine ratione posset, cur in illorum Legibus hodie nullum ejus vestigium super sit. Cujus rei causam ego quidem hactenus non aliam potui reperire, quam quod illa, quæ ad res maritimas pertinebant, apud Romanos olim Legibus non Romanis, sed Rhodiis definiri & dijudicari solebant: quarum non nisi pauca quædam fragmenta ad nos usq; pervenerunt: cæteris vetustate & injuria temporum absuntis, cum quibus, si quid de μωπλοια vel συμπλοια constitutum aliquando fuit, illud communi naufragio interiisse, haud vana nec improbabilis penitus conjectura est. Ego certè inde non parum au-

geri mihi laborem in tractanda isthac materia sensi, quod præter illa, quæ per analogiam ex vicinis & affinibus argumentis huc deduci potuerunt, omni autoritate & subsidio juris scripti veteris destituebar. Qui defectus tamen, si quis ad usum præsentem respiciat, Legibus & Statutis recentioribus Regnorum & Rerum publicarum maritimarum non parum suppletur. Quare & ex illis primarium auxilium mutuatur, ipsa Constitutionum verba plerumque recensui: quia ad intelligendam plenius rem non obviæ prorsus cognitionis haud exiguè conducere mihi videbantur. Non ignarus interim perfectam elaborationem hujus materiæ, sine diligentí examine & accurata cognitione casuum practicorum, qui in judiciis Admiralitatis indies agitari solent, sperari non posse. Sed quia profectus Academici ad trituram forensem usq; raro porriguntur, mihi quoque à tractatione civilium causarum, usualique tribunaliū exercitatione hactenus remotiori, vitio verti non poterit, quod adhuc quidem inde manum abstinuerim. Divini

Numinis

Numinis imposterum arbitrium erit , an
mihi velit aliquando gratiouse vires & ma-
jora subsidia largiri, ut ad finem perducen-
dis, quæ cœpta hic saltē sūnt, denuo uti-
liter vacare possim. Interim æquos rerum
arbitros benevole hos qualescunque co-
natus meos interpretaturos esse confido.

I. N. D. N. J. C.

I.

Licet tractatio de *Admiralitate* tanquam mate- *Admiral-*
ria maritima mediterraneis supervacua videri *tatis usus.*
possit: utpote cum ad illos, qui vel nunquam
ingressi sunt mare , vel prope mare non habi-
tant, quæstiones marinæ parum pertinere existentur:
Gyphiand. de Insul. præf. §. 71. Apud populos tamen
& civitates maritimæ usum frequentem, quotidianum,
& pernecessarium habet. *Grot. de Jure Bell. & Pac. lib. 2.*
cap. 12. §. 4. Statut. Hamburg. part. 2. tit. 13. art. 41. *ibi:*
Dieweil viel Admiralschafft gemacht werden. Ut ad-
eò non immeritò magnam hujus rei curam habeant il-
li, qui ad mare sedent. *Stypmann. de Jure marit. part. 4.*
cap. II. §. 49. & 54. & hinc diligens juris evolutio , quod
circa eam constitutum & receptum est, nequaquam sit
negligenda. *arg. l. I. D. de in integr. rest. l. I. pr. D. de Exerc.*
act. l. I. pr. D. de susp. Tutor.

II. Dicitur autem *Admiralitas* ab *Admiralio* vel *Etymolo-*
Thalassiaracha aut *maris Præfecto* , qui *præest Collegio* *gia.*
Admiralitatis vel *Societatis navalis.* *Loccen. de Jure*

marit. lib. 2. cap. 2. §. 1. Admirali verò nomen non ab admiratione, ut aliqui existimant: vid. Voss. de vit. Lat. serm. lib. 2. cap. 2. Sed ab Emir sive Amira, quod Arabibus Dominum aut Principem signat, & Græco αλιθος, marinus descendit. Voss. d.l. Add. Rein. Curick. ad Ordin. Naut. Civit. Hans. tit. 7. art. un. p. 178.

Homony-
mia.

synonymia

III. Græci σύμπλοιαν vocant aut ὁμόπλοιαν, Grot. de Jure Bell. & Pac. lib. 2. c. 12. §. 4. unde Cicero Ep. ad Attic. lib. 16. ep. I. εν ὁμόπλοιᾳ Brutus videtur aliquid præsidū esse. & dict. lib. ep. 4. itaque constituebam uti ὁμόπλοιᾳ. add. Loccen. de Jure marit. lib. 2. c. 2. §. 2.

IV. Denotat alias *Admiralitas* ipsam præfecturam maris per se consideratam, quam alii Admirallatum nominant. vid. Strauch. de Imper. mar. c. 5. §. 4. Interdum Collegium quoque judicum maritimorum, quod Consulatus maris vulgo dicitur, Admiralitatem nominant: uti fit in der Königl. Dännemarck. Verordnung/ wie es bey währendem Krieg mit den Certificationen zu halten. apud Marquard. de Jure Mercat. document. lit. W. ibi: Demnach in Unserer gnädigsten declaration für unsrer Admiralität: & mox: Dafern sie vor dem Admiraltät-Gericht für genugsam geachtet: & denique: Wor nach sich unser Admiralitäts-Raht und Bediente zu richten. 2.

Definitio.

V. Hoc in loco *Admiralitas* est Societas navalis armata ob securitatem commerciorum mutul auxilii causa inita. conf. Grot. de Jure Bell. & P. lib. 2. c. 12. §. 4. Stypmann. de Jure marit. part. 4. cap. II. §. 48. Loccen. de Jure marit. lib. 2. c. 2. §. 1. Curick. ad Jus marit. Hanseat. tit. 7. art. un. p. 179. Marquard. de Jure Mercat. lib. 2. cap. II. §. 35.

Causae effic.
Remota.

VI. Hæc Societas, quatenus tutelæ & defensioni necessariæ inservit, omni jure introducta dici potest.

arg.



arg. l.3. D. de Just. & Jur. l.4. pr. l. scientiam. 45. §. qui cum.
4. D. ad L. Aquit. l.1. §. vim vi. 27. D. de vi & vi arm. Add.
Carpzov. Prax. crim. p.1. q. 28. §. I. & seqq.

VII. Et favet ei peculiariter i. Jus Divinum, quo
Salomo secundum Sapientiam à DEO ipsi concessam
(1. Reg. 5. v. 12.) talem societatem iniit cum Hyramo
Rege Tyri, qui ad classem , quam Salomo instruxerat,
petendi auri causa ex Ophir, misit servos suos, viros nau-
ticos & gnares maris, ut cum servis Salomonis naviga-
rent. 1. Reg. 9. v. 27. & 28. & 2. Paralip. 8. v. 18.

VIII. 2. Jus naturale: cui convenit, ut tutò per
mare navigare liceat & trajicere. l. 2. §. I. D. de R. D. §. I.
Inst. eod. l. 3. §. I. D. ne quid in loc publ. l. 13. §. ult. D. de Injur.
l. Venditor. 13. pr. D. comm. præd. Marquard. de Jure Mercat:
lib. I. cap. 15. §. I. Loccen. de J. marit. lib. I. cap. 3.

IX. 3. Jus Gentium: quod liberum & securum
usum commerciorum stabilivit. l. 5. D. de Just. & Jure.
§. 2. Inst. de Jure Nat. Gen. & Civ. Gregor. Tholof. Syn-
tagm. Iur. univ. lib. 21. c. I. Grot. mare lib. cap. 8. atque
hoc libero & seculo commerciorum usi exigente, ipsis-
que humanis necessitatibus flagitantibus (vid. §. 2. Inst.
de J. N. G. & C. ibi: nam usu exigente. Stypmann. de Jure
marit. part. 4. cap. II. §. 49.) Admiralitatem jam olim in-
ter se contraxerunt Gentes Orientales. 1. Reg. 9. v. 27. &
28. 2. Paralip. 8. v. 18. eademque usi sunt Græci: Loccen.
de Jure mar. lib. 2. c. 2. §. 2. Romani: Cic. Ep. ad Attic. lib.
16. ep. I. & 4. Populi Septentrionales: Saxo Grammat.
Histor. Dan. lib. 14. pag. 259. & seq. Crantz. Wandal. lib.
9. c. 22. 29. Reckmann. Chron. Lubec. p. 42. atque illa ho-
dienum utuntur Hispani: Stypman. d. c. II. §. 54. Sueci:
Loccen. d. c. 2. §. 4. Belgæ: Edicta Ordinum Hollandiæ
Anno 1544. edita tom. I. p. 323. 429. & seq. Ordinat. de
Admiral.

Admiral. in Constit. & Privil. Amsterod. p. 450. Hambur-
genses: Hamburger Stadt Recht. p. 2. tit. 14. artic. 41.
Admiralschafft: Ordnung der Stadt Hamburg. de
Anno 1623. apud Marquard. de Iure Mercat. document. sub
lit. R. p. 589. & in universum Civitates Hanseaticæ. Jus
Marit. Hanseat. tit. 7. art. un. von Admiralschafft.

X. 4. Jus Civile: tum quatenus permittit latrones
& hostes publicos, quales sunt piratæ, Vinn. ad Peck. de
LL. nautic. p. 370. Strauch. de Imp. mar. c. 9. §. 2. armata
manu persequi. l. 2. C. quand. lic. unic. Gryphiand. de In-
sul. c. 31. §. 139. & seqq. Stypm. de Jure marit. p. 4. c. 18. §. 83.
Coll. Jur. Arg. lib. 48. tit. 8. th. 5. ejusque rei gratia socie-
tatem aliquam contrahere, & collegium instituere. l. 4.
D. de Coll. & corp. ibi: vel nautæ. l. 1. pr. D. quod curiusque u-
niv. nom. tum quatenus prohibet, ne naves ex portu na-
vigent, nisi plures sint, & inter se Admiraliūm constitu-
erint. Constit. Philipp. II. Reg. Hisp. de Nav. armand. de
Ann. 1563. art. 9. & 10. apud Stypmann. de Jur. mar. p. 4.
c. 11. §. 54. quemadmodum & Batavi constituerunt, quod
nulla navis ex portu Vliensi in Norvegiam vel Elsenoram
aut retronavigare debeat sine nave conducente: Quod ex
Hollandia in mare Balticum non debeant ire, nisi ad mini-
mum triginta naves in societate sint, &c. apud eundem.
d. c. 11. §. 58. & seqq.

Causa Effi-
ciens Pro-
xima.

Admirali-
tatis publi-
cae.

XI. Constituunt autem & contrahunt Admira-
litatem vel illi qui summam potestatem habent, vel
privati: atque hinc alia Admiralitas publica, alia privata
est. Publica est, quæ authoritate Regis, Principis aut
Reipublicæ ordinata est pro conservatione pacis & tran-
quillitatis publicæ contra piratas hostesque quosvis, &
defensione navigantium. Curick. ad Ius Marit. Hanseat.
tit. 7. art. un. p. 179. Quam licetè contrahi atque con-
stitui

stitui posse à Principibus, nullum dubium est. Cum
hæc sit potissima pars jurisdictionis, quam in mari suis
territoriis adjacente habent Principes, ut navigationes
tutas efficiant à Piratis & hostibus. Loccen. *de Iur. marit.*
lib. 1. c. 4. § 4. in fin. atque in hoc officium gravis & cor-
dati Magistratus consistat, ut itinera publica tam mari-
tima quam terrestria malis hominibus , qui ea infesta
reddunt, purgentur. *l. 3. l. 13. D. de off. Præf. l. un. C. de Clas-*
fic. Marquard. de Iure Merc. lib. 1. c. 13. §. 34. Quod in proprio
quidem territorio fit tum variis modis aliis , quos v. ap.
Loccen. *de Iure marit. lib. 2. c. 1.* tum constitutis ac dis-
positis navibus exploratoriis & excursoriis , quas *Aus-*
lagschiff vocant. Becht. *de secur. & salv. cond. thes. 128.*
& si vis major ingruat, integris classibus instructis. *d. l. un.*
C. de class. Strauch. de Imp. mar. c. 5. §. 2. tum quod pro-
pius huc pertinet, corpore aliquo navium præsidiaria-
rium & conductricium , quæ *Convoy. schiff* dicuntur,
instituto ordinatoque, ex quo naves onerariæ mercato-
rum possint præsidium & salvum conductum, mutuari.
Stypm. *de Iure marit. p. 4. c. II. §. 59. 60. & seqq.*

XII. Classæ autem istæ vel naves etiam si extra ter-
ritorium & jurisdictionem ejus, à quo instructæ sunt,
defendere se adversus vim ingruentem piratarum vel
hostium possint, utpote quod iis etiam concessum est,
qui privatâ authoritate navigant. Grot. *de Iur. Bell. & P.*
lib. 1. cap. 3. §. 2. Attamen in alieno territorio eis con-
cessum non est aggredi piratas , eosque poenæ expeten-
dæ causa persequi, nisi eis singulari privilegio piratarum
persecutio etiam in alieno territorio concessa sit: ut
Hamburgensibus à Carolo IV. Anno 1359. Gryphiand.
de Insul. c. 31. §. 154. vel nisi persequi eos cœperint in suo
territorio: tunc enim continuare persecutionem pos-

B

sunt

sunt etiam in alieno territorio, ibique eos comprehen-
dere: ita tamen, ut ibi judicio sistantur, nec in propri-
am jurisdictionem, nisi cum istius loci Magistratus con-
fensu deducantur. *X. A. zu Augspurg de Anno 1559. §.*
Und wiewohl. 21. Gail. de pace publ. lib. I. c. 16. n. 25. & seqq.
Loccen. de jure marit. lib. 2. c. 3. §. 2.

XIII. Quod de piratis dictum est, idem etiam de
hostibus quibusvis publicis intelligendum est: quos li-
cet in territorio tertii pacato aggredi & violare non li-
ceat, propter jus ejus, qui territorium ibi habet. *Grot.*
de Iure Bell. & Pac. lib. 3. cap. 4. §. 8. cœptam tamen perse-
cutionem ita licet continuare, ut in alieno quoq; por-
tu hostem invadere permittatur: quod factum à Trom-
pio Classis Hollandiæ Præfecto Anno 1639. classi Hispa-
norum in portu Duinensi Britannico. *Strauch. de Imp.*
mar. cap. 6. §. 9. atque hoc fundamento excusatur à pœ-
na fractæ pacis, qui hostem suum diffidatum in alieno
territorio vi armata capit: sicut fecit Archiepiscopus
Coloniensis capiendo **Hennicken von Lübeck** / in Do-
minio **Starmade Nobilium de Harst**: quibus pro-
pterea in Camera Spirensi denegati sunt Processus super
fracta pace: testante Mynsing. *observ. pract. cent. 2. obs. 28.*

XIV. Suumi autem territorium ab alieno in mari,
non tam certis limitibus distinguitur, quam in mediter-
raneis regionibus. Et quando dicitur, eum qui juris-
ditionem habet in territorio, habere quoque jurisdictionem
in mari adhærente; non convenit inter Do-
ctores, quoq; mare adhærens dici & intelligi debeat:
Aliqui existimant, eum qui jurisdictionem habet in
districtu mari cohærente, habere in mari jurisdictionem
usque ad iter duorum dierum: Hieronym. *de mont. in*
tr. de Fin. reg. c. 7. n. 12. alii usque ad sexaginta millaria
jurisdi-

jurisdictionem in mare adjacens extendi pronuntiant Bodin. *de Rep. lib. I. cap ult. n. 170.* plerique eam ad centum millaria porrigitur. Bart. *de Insul. n. 1. verb. nullius.* P. Castrensi. *in l. 9. de judic.* Quarum tamen definitio-
num nulla certam aut perpetuam determinationem
habet. Gryphiand. *de Insul. cap. 14. n. 25. & seqq.* sed va-
riat modus pro spatio ad possidendum vacuo. Strauch.
de Imper. mar. c. 4 §. 3. Itaque alii rectius putant distin-
guendum inter maria particularia , & inter Oceanum
universum : in maribus particularibus ita unicuique
juxta sua litora competere jurisdictionem , ut delictum
in tali mari particulari commissum in illa civitate puni-
ri debeat, cuius portu ilocus ille propinquior est. Loc-
cen. *de Iure marit. lib. I. cap. 4. §. 6.* In Oceano autem u-
niverso limites nulos dari. Stypman. *de Iure marit. part.*
I. c. 5. §. 56. atque adeò in medio mari unicuiq; hostem
publicum aggredi permisum & liberum esse. Gryphi-
and. *de Insul. c. 31. §. 149. ibi: in medio mari persequi piratas*
civis licet.

XV. Ethæc quidem Admiralitas, quæ in corpo-
re navium publica autoritate ad hoc ordinato consi-
stit, ut mare à prædonibus & hostibus aliis tutum & ad
usum navigantium securum reddat, à Principe vel Re-
publica vi Imperii & jurisdictionis constituitur: indeq;
& publicæ Admiralitatis nomen habet. Præter hanc
est & alia Admiralitas publica, quando illi, qui summam
potestatem habent, inter se navalem societatem ob-
secrum & commodum usum commerciorum contra-
hunt. arg. *l. 5. D. de pact.* qualem societatem fuisse Salo-
monis cum Hiramo , supra dictum est ex *I. Reg. 9. v. 27.*
add. Loccen. *de Iure marit. lib. 2. c. 2. §. 2.*

XVI. Quam societatem legitimam atque licitam fuisse existimo, etiam si cum Rege infideli contracta sit.
arg. i. Reg. 5. 12. conf. Grot. de I. B. & P. lib. 2. cap. 15. §. 9.
sicut & hodie foedus, quod Princeps Christianus cum non Christiano pro commerciorum libertate & ad per-
sequendos latrones publicos contrahit, licitum recte
putatur. Joh. Gerh. loc. Theolog. de Mag. Pol. 5. 154. & seqq.
Alber. Gentil. de Iure bell. lib. 3. c. 19. p. 658. Limn. Not. ad
Capitul. Caroli V. art. II. verb. Aller Hülffe. Diff. Theologi
Jenens. ap. Loccen. de Iur. marit. lib. 3. cap. 7. §. 3. confer.
Reinking. de Regim. sec. & Eccl. lib. 2. class. 3. cap. 3. §. 45.
& seqq. Henniges Not. ad Grot. de Iure Bell. & Pac. lib. 2.
cap. 15. §. 10.

Causa Eff.
Admirali-
tatis pri-
vata.

XVII. Privata Admiralitas est, quam privati inter-
se ad certae alicujus navigationis securitatem contra-
hant. Curick, ad Ius Hanseat. tit. 7. art. un. p. 179. Quod
ad finem defensionis privati licite faciunt: Gryphiand.
de Insul. c. 31. §. 151. idque de jure communi etiam sine
speciali & expressa superioris concessione. l. ult. D. de
colleg. & corpor. l. I. D. ad L. Iul. de vi publ. Non obstante.
C. ut armor. usus. vid. Dn. D. Tabor Armam. Justin. de Ho-
plophor. c. 1. th. 5. p. 111.

Subiectum.

XVIII. Inter privatos autem admiralitatem con-
trahere possunt omnes, qui ad societatem contrahen-
dam idonei sunt, quique adeo contrahendo sese valent
obligare. Ex. Dn. Lauterb. tract. synopt. dig. tit. pro soc.
§. 1. th. 4. quos enumerat Hector Felicianus tract. de So-
cietae cap. 3. & seqq. Coll. Jur. Argent. tit. pro soc. th. 5.
Reciprocè tamen si qui inter se, ratione & dispositione
speciali, societatem bonorum contrahere prohibentur,
eos non statim puto ab admiralitate contrahenda arce-
ri: cum

ri: cum libertas commerciorum & securitas favorabilis, prohibitio autem contractuum juris Gentium, odiosa sit, atque hinc haec quidem restringi, illa vero ampliari bona interpretatione debeat. Barbos. *Axiom. lib. 6. c. 11.*
Ax. 6. & lib. 13. cap. 16. ax. 5. Unde & civis Hanseaticus cum non Hanseatico admiralitatem contrahere poterit: non obstante dispositione juris Lubecensis, quo cavetur, dass kein Hansischer mit demjenigen / welcher nicht Hansisch ist/ er sey gleich wer er wolle/ Gesellschaft oder Factoreyen anstellen solle. Cum praesertim hoc constitutum sit propter rationes speciales: ad obtinendum nimirum commerciorum vigorem in civitatibus Hanseaticis, & ad conservationem Privilegiorum, quae ex diversis in locis antiquitus obtinuerunt. Dn. Mæv. *ad Ius Lubec. lib. 3. tit. 8. art. 2. §. 3.* Quæ rationes in Admiralitate prohibenda cum exteris non militant, ut adeo merito cessante Legi ratione etiam dispositio ejus cessare putanda sit. Everhard. *top. legal. loc. 85.*

XIX. Causam materialem Admiralitatis quod *Causa materialis.* attinet; sicut in reliquias obligationes vel res deducuntur, vel facta. *§. ult. I. de V. O. l. 2. pr. D. eod.* & sicut in genere societas non tantum rerum, sed etiam operarum causa contrahi potest. *l. 29. pr. l. 80. l. 71. D. prof. soc. Excell. D. Lauterbach. tract. synopt. Dig. tit. prof. soc. §. 1. th. 5.* ita in Admiralitatem quoque veniunt 1. Factum sive opera mutua defensionis & auxilii, tum contra hostes, tum contra alios casus fatales ingruentes. Statut. Hamburg. *p. 2. tit. 14. art. 41. ibi:* Wann eine Admiralschafft gemacht ist/ so ist das Volk schuldig sich zu wehren. Add. Loccen. *de Iure marit. lib. 2. cap. 2. §. 5.* 2. Factum Offensionis & aggressionis piratarum & hostium publicorum: si Admiralitas sit publica: vel si privati naviga-

turi instructi sint mandatis à publica potestate ad perse-
quendos piratas, si quos in mari repererint: vel in loco
penitus libero piratæ deprehendantur. Gryphiand. de
Insul. c. 31. §. 139. & 149. Grot. *de Iure bell.* & *pac.* lib. 2. c. 20.
§. 8. & 14. Loccen. *de Iure marit.* lib. 2. c. 3. §. 1. 3. Naves
ipsæ veniunt in Admiralitatem, non tantum quatenus
conjuguntur ad mutuam defensionem, sed etiam qua-
tenus Admiralitate contracta & aestimatione navium
facta, periculum earum communiter ad socios Admi-
ralitatis pertinet, Stypmann. *de Iur. marit.* p. 4. c. 11. §. 64.
Loccen. *de Iure marit.* lib. 2. c. 2. §. ult. Numerus harum
navium in universum non est definitus, sed solet Admi-
ralitas ex tot navibus constitui, quot opus esse vident
vel Magistratus loci, vel privati mercatores. Loccen. d.
loc. §. 2. Aliquando tamen specialiter constitui alicubi
solet, ne ex portu naves solvant, nisi certus sit illarum
conjunctionarum numerus: sicut Batavi constituerunt,
quod ex Hollandia in mare Balticum non debeant ire
nisi ad minimum triginta naves in societate sint. Styp-
mann. *de Iure marit.* d. c. 11. §. 60. Et Hamburgi Statu-
tum est, ne naves ex portu navigarent, nisi sex ad mini-
mum unitæ essent. *Stadt Hamburg Admiralschafft.*
Ordnung §. 11. apud Marquard. *de Jure Mercator.* docum.
lit. R. Hæ autem naves non omnes bellicæ sunt, quan-
quam armis navium oneriarum sint plerumque in-
structæ; sed solet peculiariter constitui & definiri, se-
cundum numerum navium oneriarum, quot ad illas
conducendas bellicæ adhiberi oporteat: veluti ita à Ba-
tavis sanctum est, ut 30. naves onerariæ per duas naves
bellicas conduci debeant, nisi Commissario visum fue-
rit, ut una faciat. Stypm. d. c. §. 61. 4. Quod de navi-
bus dictum est, eas in hanc societatem venire, idem de
instru-

Instrumentis navium intelligendum est , quippe quæ
quasi membra navium sunt. l. 44. D. de Evid. Non obſt.
l. 242. pr. D. de V.S. Add. l. 2. §. I. ff. ad Leg. Rhod. de jact.
l. 3. §. I. D. de Rei Vind. Alciat. ad d. l. 242. D. de Verb. Sign.
§. Ut & de armis navium: de quorum quantitate & usu
variè edici ſolet. Ex. gr. Si naves onerariæ non habeant
navem conducentem, & numerus triginta naves exce-
dat, ſi tamen habeant 40. tormenta & alia necessaria ar-
ma, poſſe conſtituto inter ſe Admiralio enavigare.
Stypm. d. loc. §. 63. inſtructis juxta numerum tormentorū omnibus aliis rebus ad apparatus bellicum ne-
cessariis (Ammunitio) provideri debere. Idem ibid.
§. 67. Add. Stadt Hamburg Admiralschafft Ordnung
§. 8. ibi: Ob ſie mit gebührlichem Kraut und Loth ver-
ſehen ſe. 6. Sed & pecunia in uſum navium armando-
rum collata, in Admiralitatē deducitur: de qua Bata-
vis placuit, ut naves bellicæ pro impensā debeant acci-
pere dimidiā quartæ in centum de navibus in navalī
ſocietate non inſtructis , & bonis in iis exiſtentibus.
Stypmann. d.c. II. §. 62. & 63. Hamburgi ad meliorem
conſervationem Admiralitatis ſtaturum eſt: Es ſollen
die gesamte Kaufleute/ ſo ſich der Admiralität zu ih-
rer groſſen Verſicherung und Proſperität gebrauchen/
von allen außgehenden und einkommenden Wahren
ein halbes pro centum zu Admiral-Geld geben; wel-
ches man denn zu Muntir- und Erſtärkung der Ad-
mirals und ViceAdmirals / wie auch der anderen
Schiffe anwenden und gebrauchen ſoll. Sonften ſoll
auch über dieses von den Schiffen zu Unterhalt der
Admiralität ein gewiſſes gegeben werden / benanlich
die Schiffe/ ſo gar nicht muntiret oder unter vier Gott-
lingen führen/ welche den ungemundirten gleich geach-
tet/

tet/ von jeder Last einen halben Reichsthaler/ die so 4.
führen/ / die so 6. Göttlingen führen/ Reichsthaler.
Da sie aber mit 8. oder mehr guten Göttlingen verse-
hen seyn/ sollen sie von solchem Last- geld gänzlich ent-
fryhet seyn. Admiralschafft Ordnung §. 6. & 7. Atq;
hæc est arca communis Admiraltatis, l. i. §. i. D. quod cu-
jusque univ. nom. neg. gest. in qua socijs non ut singulis
sed ut universis jus competit, l. sicut. 7. §. i. D. eod. 7. De-
nique merces quoque sociorum Admiraltatis in hanc
societatem veniunt, non ut communicentur, sed ut æ-
stimatione in antecessum facta, communi periculo de-
fendantur. Marquard. de Jur. Mercator. lib. 2. cap. II. §. 37.
Stypmann. d. c. II. §. 64. Grot. de Jure Bell. & Pac. lib. 2.
cap. 12. §. 25. 8. Præter hæc ex post facto nonnunquam
in Admiraltatem venit præda ex hostibus capta. Loc-
cen. de Jure marit. lib. 2. c. 2. §. 7. Stypm. d. c. II. §. 78. Arg.
§. 17. I. de R. D. l. 51. §. i. D. de acquir. rer. dom. Non obſt.
l. 20. §. i. D. de captiv. & postlim. revers. 9. Ut & aliquan-
do poena pecuniaria sive mulcta eorum, qui non impe-
trata venia à societate abeunt. Stypmann. d. cap. II. §. 74.

*Causa for-
malis Ad-
miralitatis
publica.*

XX. Ratione causæ formalis Admiraltas publi-
ca, utpote societas quædam publica, accensetur colle-
giis & corporibus sive Universitatibus legitimis. l. i. pr.
D. quod cujusque univ. nom. neg. gest. l. 3. §. 4. D. de bon. poss.
l. 22. D. de Fidej. & mand. A quibus in eo differt, quod
navalis est, & bellica, ex variis officiis & ministeriis ma-
ritimis coordinata. vid. l. 46. D. ad Sctum Trebell. l. un.
C. de Class. Strauch. de Imper. maris cap. 5. §. 3. fin. Add.
Hamburg. Admiralschafft Ordnung §. 12. ubi egregie
disponitur: Es solle auch einer jeden Flotta durch die
Deputirte ein gewisser Admiral für gesetzet werden/ da
aber zu einem mahl eine gar grosse Flotta abstiegen
wolte/

wolte/ soll zwar eine jede Compagnia / so auff einen Orth mit einander zu siegeln hat / ihren Admiral und ViceAdmiral haben/ nichts destoweniger aber soll ihnen noch ein OberAdmiral durch die Deputirte werden zugeordnet.

XXI. Privata Admiralitas à societate pacata, quam vulgo Maschoppen vocant, ratione formæ differt in eo, quod societas pacata sive negotiatoria contrahatur consensu interposito de rebus ex utraq; parte communicandis, lucri in commune faciendi gratia. Excell. D. Lauterb. *Tractat. Synopt. Dig. tit. pro soc. th. 5.* In societate autem bellica, utilitas hæc communis sit ipsa defensio. Grot. *de Jure Bell. & Pac. lib. 2. c. 12. §. 25.* Loccen. *de Jure marit. lib. 2. c. 2. §. ult.* cuius commodum eatenus pro lucro haberi potest, quatenus emolumenti species est damnum evitasse. *I. in pupillo. 47. §. 1. D. de solut.* Non obstat. *I. si sponsus 5. §. concessa. 8. D. de donat. int. vir. & ux.* sicut vicissim emolumento caruisse, damnum est. *I. 2. §. damnum II. D. ne quid in loc. publ.* Non obstat. *I. Proculus 26. D. de damn. infect.*

XXII. Ut autem ad communem defensionem ii, *Eius requi-*
qui simul navigaturi sunt, obligentur, requiritur, *I. sita.*
Consensum interpositum esse de conjugendis ob mu-
tuam tutelam navibus. t.t. I. de Obl. ex consens. I. 2. D. de
Obl. & Act. idque vel expresse: verbis scil. inter præsen-
tes, & literis aut nuntio inter absentes: vel tacite re ipsa
& factis. I. 4. pr. D. pro soc. dummodo facta talia sint,
quæ citra jus Admiralitatis fieri uon solent, vel de ani-
mo talem societatem coëundi aliunde constet. Dn. D.
Lauterb. tit. Dig. pro soc. th. 3. Add. Stätut. Hamburg.
part. 2. tit. 14. art. 42. ibi: Wann eine Admiralschafft
gemacht

gemacht ist / oder es sich begebe / daß einem ein Frey-
heuter an bordt käme.

2. XXIII. 2. Ad hoc autem ut damna, quæ eveni-
unt, æqualiter inter socios contribui possint, moris est,
naves à Commissario cum bonis antequam abeunt, ta-
xari: Sypmann. *de Jure marit. part. 4. cap. II. §. 54.* atque
ex navibus & mercibus unam summam confici, ut à
Dominis pro parte quam singuli in ea summa habent,
detrimenta ferantur. Edict. Ordin. Holland. *tom. I. p. 323.*
Constit. & Privil. Amsterod. *Ordin. de Admiral. p. 450.*
. Grot. *de Jure Bell. & Pac. lib. 2. cap. 12. §. 25.* Loccen. *de J.*
marit. lib. 2. c. 2. §. ult.

3. XXIV. Præter hæc Hamburgi specialiter consti-
tutum, ut Magistri navium, quam primum vecturam
• suscipiunt, coram Dominis Deputatis designationem
exhibeant, ex qua de magnitudine & apparatu navium
constare possit: quin & ipsi Domini Deputati vel per se,
vel per alios ex civibus inspicere naves tenentur & ex-
plorare, an bene instructæ sint, an ad prælium habiles,
an nihil sit, quo usus tormentorum impediatur. Quod
in *Ordin. Admiralit. §. 8.* expresse his verbis disponitur:
Ist beliebet / daß nicht allein die Schiffer / so bald sie die
Fracht annehmen / den Deputirten eine gewisse desi-
gnation, wie groß ihr Schiff / und wie es gemundiret /
übergeben / sondern auch alle Schiffe durch die Depu-
tirte Herren oder Bürger visitirt werden sollen / ob auch
tüchtige Stücke auff den Schiffen vorhanden / ob sie
mit gebührlichem Kraut und Loth versehen / ob und
wie man sie im fechten gebrauchen könne; da dann son-
derlich in acht zu nehmen / daß auff dem überlauff / da
das Geschütz stehet / keine Wahren oder Bossmanns
Führung / dadurch der Gebrauch des Geschützes
möchte

möchte gehindert werden / gesetzet werde.

XXV. Sicut & alibi quod ad modum exercendæ communis defensionis attinet, certis articulis exprimi solet; Quomodo ordines inter navigandum à Prætoria & prærætoria navi reliquaque classe sint observandi, quaratione peculiari vexilli erectione, aut velorum adductione, aut tormenti explosione, aut nocturno insigni plurium lumen, quando imminet hostis, vel ignota classis, vel tempestas oritur aut nebula, signum ad præcavendum periculum dari debeat: & quæ alia huc spectant. vid. Stypmann. *de Jure marit. d. cap. II. § 79.* Loccen. *de Jure mar. d. c. 2. §. 6.* Marquard. *de Iure Mercat. lib. 2. cap. II. §. 36.*

XXVI. Reliqua pactis illorum, qui contrahunt hanc societatem, informari solent. vid. Wesemb. *par. Digest. lib. 2. tit. 14. num. 9. vers. cæterum.* Bachov. *ad Treutlerum vol. 1. disp. 6. thes. 10. lit. A. & seqq.* Quæ plerumque Instrumentis publicis (Admiralschafft-briefe dicuntur) solent comprehendendi. Hamburger Admiralschafft-Ordnung §. II. ibi: sollen zum wenigsten sechs Schiffe zusammen setzen / und sich vermittelst und nach Einhalt dero auffgerichteten Admiralschafft-briefe/ und bey Vermeidung der darinnen be-nanten Von bey einander zu bleiben allerdings schuldig und verbunden seyn: & §. 16. Wo einiger Schiffer wider diese Ordonanz und den deswegen absonderlich versertigten Admirals- brieff handlen würde/ ic.

XXVII. Causa impulsiva Admiralitatis publicæ ^{Causa impulsi-va.} juxta privatæque constituendæ, eadem est: nimurum tristissimi casus, qui naviantibus imminent, præsertim à piratis: *Quis enim navigavit, qui se non aut mortis aut servitutis periculo committeret, cum aut hyeme,*

C 2 aut

aut referto prædonum mari navigaretur? Senec. Epist. 87. Gryphiand. *de Insul.* c. 31. §. 140. Loccen. *de Jur. marit.* lib. 2. c. 1. §. 2. Unde non immerito necessaria visa est Admiralitas eo tempore, quo Dynkerkani & alii piratæ passim Oceanum & mediterranea maria infecta tenebant. Stypman. *de Jure marit.* d. c. II. §. 49. Quemadmodum etiam Turcis & aliis prædonibus cum maximo mercatorum damno grassantibus, Hamburgensis Admiralitas lege perpetua constituta est. Nach dem leider die tägliche Erfahrung bezeuget, daß nicht allein durch Türkische, sondern auch andere streifende Seeräuber allgemeinen commerciis und Traffiquen grosser und mercklicher Eintrag und Schaden geschicht, und demnach wohl von nöhten, daß in dieser guten Stadt eine beständige Admiralschafft angeordnet werde, als hat ein E. Raht auff dienstlich Suppliciren etlich vieler Bürger und Eingesessenen, so sich der Handlung Seewarts gebrauchen, folgende Ordnung verfassen und publiciren lassen. Hamburg. Admiralschafft. *Ordnung proœm.*

Causa finalis
Admiralitatis.

XXVIII. Causa finalis Admiralitatis constitutæ est, ut se plures naves sociatæ, eo facilius adversus vim ingruentem tueri possint: Loccen. *de Jure marit.* lib. 2. c. 2. §. 2. & non tantum in præsens tempus securè navigetur, sed etiam in futurum mare prædonibus purgetur; quo mediante & securitas commerciorum, & privata simul navigantium publicaque utilitas procuratur. Gryphiand. *de Insul.* d. c. 31. §. 139. Marquard. *de Jure Mercat.* lib. I. c. 15. Interdum & immediatè usus Admiralitatis, licet privata sit, ad utilitatem Reipublicæ dirigitur, quando hoc proposito privati societatem navalem instituunt, ut hostes Reipublicæ persequantur. vid. Martin.

Martin. Schoock. *Imp. marit. cap. 23.* vel quando extra-nei naves à Collegio Admiralitatis conducunt, & sibi adjungunt ad firmandas vires suas, ac defensionem ad-versus hostem tertium. Loccen. *de Jure marit. lib. 2. cap. 2. §. 3.* Add. Hannibal *Seestäts Vortrag das Naval defensions-Werck in Norwegen betreffend.* apud Mar- guard. *de Jure Mercator. document. lit. W. 2.*

XXIX. Circa Effectus Admiralitatis publicæ con-trovertitur: An Admiralitas constituta ad prædatorum & piratarum persecutionem in eo loco in quo exerce-tur, jurisdictionem vel superioritatem importet? de quo disceptatum est in Camera inter Oldenburg & Bre-men: Comite rectè negante, piratarum persecutionem jurisdictionis signum esse posse: cum ea aliis etiam competat, qui Jurisdictionem non habent. Mindan. *de Proces. lib. 2. cap. 36. §. 6.* Et licet equidem tam pro-tectio maris, quām piratarum persecutio ei competat, qui jurisdictionem habet: & ad Imperium pertineat, curare ut malis hominibus mare purgetur. Strauch. *de Imp. mar. cap. 9. §. 1.* hoc tamen non est reciprocum, ut qui mare aut flumen protegit, aut piratas persequitur, statim in eo loco jurisdictionem aut Imperium habeat: quod non tribuit protectio. Gail. *Obs. Pract. lib. 2. obs. 34. n. 1.* Mager. *de Advocat. armat. cap. 10. §. 386. & seqq.* Loccen. *de Jure marit. lib. 1. c. 4. §. 5.*

XXX. Idem de vectigalibus quoque eo nomine exigendis sentendum est, quæ in eo loco quidem, in quo vi jurisdictionis protectio maris & piratarum perse-cutio exercetur, licet & summo jure exiguntur. Ham-burg. Admiralschafft. *Ordnung §. 6.* Grot. *de J. B. & P. lib. 2. cap. 2. §. 14.* & *lib. 2. cap. 3. §. 14.* Excell. D. Zieglerus.

C 3 ad

ad Grot. d. lib. 2. c. 2. §. 14. Sed non tamen vi solius protectionis & persecutionis exigi possunt. Mindan. d. l. 2. c. 36. §. 6. Loccen. d. loc.

XXXI. Quod si recipiat vestigal nomine securitatis per Admiralitatem præstandæ, is ad quem ejus loci jurisdictio maritima pertinet, tenebitur non tantum ad præstandam securitatem iis, qui per territorium suum navigant, ne ullam concussionem vel damna sustineant. l. un. C. de littor. & itin. custod. Sed si deprædatione piratarum transiuntibus damnum datum sit, tenebuntur ex negleßtu Reges ac Magistratus, qui ad inhibenda latrocinia & piraticam non adhibent tam sufficientia remedia quam possunt ac debent. Grot. de Jure bell. & pac. lib. 2. cap. 17. §. 20. Strauch. de Imp. mar. cap. 6. §. 7. Præsertim si navigantes deposuerint, in quam Provinciam ituri sint, atque adeò sub salvo conductu alterius navigent. d. l. un. C. de littor. & itin. custod. Quemadmodum in terrestri quoque itinere deprædatis Dominus territorii damna resarcire tenetur. Mynsing. Obs. Pract. centur. 5. obs. 70. Rosenthal. de feud. cap. 5. concl. 22. In primis si sub fide publica & salvo conductu proficiantur: prout Constitutum Rec. Imp. de Anno 1556. §. Damit dann die Obrigkeit. 34. his verbis: Sezen/ ordnen und wollen/ wofern von Churfürsten/ Fürsten und Ständen/ oder einiger Obrigkeit / die sey wer sie wolle/ jemand das Geleit gegeben/ und derjenige darüber auff derselbigen Churfürsten/ Fürsten/ Stände oder Obrigkeit Geleit- strassen thäglich ergriffen und beschädiget/ daß der Stand/ so solch Geleit gegeben/ nach gestalt solches Geleits dem Beschädigten seines Schadens erstattung zu thun schuldig seyn soll. Secundum quæ conclusum & judicatum fuit in Camera Imperiali

Imperiali in causa quadam contra Episcopum Herib.
polensem. Gail. *Observ. Pract. l. 2. observ. 64. §. I.* Add.
Bernh. Græven. 2. *pract. concl. 64.*

XXXII. Si privati inter se Admiralitatem **contra** *Pri^{gata.}*
xerint, illi sibi invicem obligantur 1. ad servandam so-
cietatem: 'Statut. Hamburg. p. 2. tit. 14. art. 41. Hamb.
Admiralschafft. Ordnung. §. II. Jus marit. Hanseat. tit.
7. art. un. 2. Ad defensionem & tutelam mutuam, si
periculum immineat. Wann eine Admiralschafft ge-
macht ist / so ist das Volk schuldig sich zu wehren.
Statut. Hamburg. p. 2. tit. 14. art. 42. 3. Ad resarcien-
dum pro sua portione damnum, citra cuiusquam cul-
pam ab hoste casuque illatum. Statut. Hamburg. d. p. 2.
tit. 14. art. 42. Loccen. *de Jure marit. lib. 2. cap. 2. §. 5.* Cu-
rick. *ad Jus marit. Hanseat. tit. 7. art. un.* idque non tan-
tum ratione mercium aliarumq; rerum deperditarum,
quæ in navi sunt, sed etiam ratione hominum vulnera-
torum. Statut. Hamburg. d. art. 42. Loccen. *de Jure*
marit. lib. 2. tit. 2. §. ult. Non quidem ut cicatricum
aut deformitatis æstimatio fiat, sed ut computentur
mercedes Medicis præstitæ, cæteraque impendia, quæ
in curatione facta sunt; præterea operarum, quibus ca-
ruit aut cariturus est ob id, quod inutilis factus est. l. 7.
D. *de his qui effud. vel ejec.* & quidem ita, ut omne da-
mnum per hostes aut piratas uni vel alteri navium illa-
tum, videlicet pulveris nitrati, & cæterorum munimi-
num bellicorum jactura, hominumque in conflictu
vulneratorum, mutilatorum aut occisorum cura, cum-
que plena mercede & vectura sumptibusque sepulturæ
reparatio quælibet navium merciumque fiat à cœteris
navibus sociisque concomitantibus, magnæ seu gros-
sæ Avariæ instar. Marquard. *de Jur. Mercator. lib. 2. cap. II.*

§. 37.

§.37. Non obſt. l. 2. §. 2. D. ad L. Rhod. de jact. vid. Loccen. de Jure marit. lib.2. c.8. §.II. 4. Ad prædam communicandam & proportione Geometrica dividendam. Stypmann. d.c. II. §. 77. & 78.

*Actiones
ex Admi-
ralit. de-
scendentes.*

XXXIII. Competit autem eo nomine i. Communiter actio pro socio. Stypm. de Iure marit. p.4. c. II. §. 85. 2. Actio civilis poenalis in factum. arg. l. i. pr. D. de prescript. verb. §.ult.I.de Leg. Aquil. qua Societas multam eorum qui à societate abeunt, sibi applicari petit. Stypmann. de jure marit. d. cap. II. §.74. 3. Remedium detentionis, Hamburger Admiralschafft Ordnung §.16. Wo einiger Schiffer wider diese Ordnung handlen würde/ soll dessen Schiff und Fracht dafür hafsten/bis er die verwirckte Straffen der gebühr entrichtet und bezahlet hat. 4. Accusatio criminalis ad poenam extraordinariam, eamque vel pecuniariam in usum pauperum erogandam, aut fisco applicandam. Stypmann. d. cap. II. §. 4. vel corporalem. ex.gr. Batavi constituerunt, si quis contra prohibitionem sine conducente nave in Norvvegiam, vel mare Balthicum naviget, illum poenam nomine dare debere de navi 200. florenos, aut ex mari Balthico venientem, 400. florenos, in Norvvegiam centum libras, ex Hollandia ducentas libras. Stypman. de Jur. marit. d. c. II. §. 69. Hamburgi verò & in Civitatibus Hanseaticis reliquis obtinet: ut si quis Admiralitatem deseruisset, omne damnum quod inde Admirali contigit, à desertore præstari debeat, si non habeat in ære, extra ordinem arbitrariè puniatur. Wer die Admiralschafft bricht/ und darüber jemand genommen würde: so soll der Schiffer/ so die Admiralschafft gebrochen hat/ schuldig seyn/ den Schaden von dem Seinigen zu bezahlen/ hat er das an Gelde nicht/ so soll er nach

nach Ermäßigung willkührlich gestraffet werden. Statut. Hamburg. p. 2. tit. 14. art. 42. Jus Hanseat. tit. 7. art. un. Loccen. de Iure marit. lib. 2. cap. 2. §. 5. Add. l. 1. §. 3. D. de pæn.

XXXIV. 4. Imploratio officii Judicis pro cognitione extraordinaria, interdum quoque locum habet ad præmium petendum, si quis in prælio se fortiter geserit: Da jemand in der Flotta im Fechten für andern sich tapffer gehalten/ soll derselbe von der Admiralität eine Verehrung bekommen: Cujus remunerationis petitio heredibus quoque competit. Hamburg. Admiralschafft. Ordnung §. 15. de qua re Belgæ specialiter definiuerunt: si hosti navis adimatur, ejus pretium debebere cedere occupantibus, & præterea eos capere debere bimestre stipendium de tot personis, quot in navi captæ fuerint. Stypmann. de Jure marit. p. 4. c. II. § 78. & amplius: Si in conflictu cum hoste navis periit, damnum bis restitui debere: si autem quis hostis navim in aquis submerserit, suâ nave salvâ, eum debere habere pretium suæ navis & bonorum: ejusque dimidium debere in commodum navis & mercium cedere, de reliquis quartis unam, nautam & gubernatorem, alteram nautas habere debere. Stypm. d. c. II. §. 76. & 77.

XXXV. Interdum verò consorti Admiraltatis, a- *Exceptio.* ctione pro socio damnum sibi resarcire petenti opponitur exceptio doli mali, arg. l. 2. §. 5. D. de dol. mal. & met. except. Si quis de societate abierit, & deserta societate navigans damnum acceperit: is enim omne damnum, quod ab hoste ei infertur, sive captivus abducatur, sive aliud quocunque detrimentum sentiat, solus debet portare, nec tenentur exercitores in ejus redemtionem aut restitutionem minimum contribuere. Stypmann.

D

de Jur.

de Jure marit. p. 4. c. II. §. 71. Videtur enim is sua culpa
damnum hoc sentire , & facto proprio detrimentum
incurrere, ob quod ei ab innocentibus quicquam resar-
ciri æquum non est. *arg. l. 203. D. de R. I. l. 52. §. 18. D. pro-*
joc. Marquard. de Iure Merc. lib. 2. c. II. §. 37.

*Perum
competens.* XXXVI. Habent autem causæ enumeratæ forum
peculiare, quod illis competens est: nimurum Collegi-
um Admiralitatis in quoque Regno vel Civitate mari-
tima ad hoc constitutum, ut res ad justitiam & discipli-
nam navalem spectantes tractet. Loccen. *de Iur. marit.*
lib. 2. c. 2. §. 4. Quale Collegium Admiralitatis Ham-
burgi quoque causas navales disceptat. Hamburg. Ad-
miralschafft. *Ordnung* §. 17. & 18. Constat illud ex quin-
que Senatoribus & octo Civibus, ut & Secretario: Ad-
miralschafft. *Ordnung* §. 2. add. *Subscript. in fin. adject.*
qui statis diebus horisque in Curia sub multa conveni-
re tenentur, & si quid constituunt, illud tanquam à Se-
natū & civibus omnibus constitutum esset, ratum ha-
betur. Admiralschafft. *Ordnung* §. 17. *per tot.* Quod si
delictum aliquod navale plectendum sit, executio erit
apud Collegium Admiralitatis in loco ubi mulctandi
adveniunt. *t. t. C. ubi de crim. ag. oport.* Stypmann. *dict.*
cap. II. §. 73.

*Forma
processus.* XXXVII. Quoniam verò causæ navales & mariti-
mæ ita comparatæ sunt, ut plerumque locus & tempus
ventorumque & maris opportunitas non patiatur mo-
ram aut cunctationem diurniorem, *l. i. pr. D. de exerc.*
act. ideo processu summario atque de plano levatoque
velo hæ controversiæ expediendæ sunt. *l. s. C. de Naufrag.*
Peck & Vinn. ad d. l. Unde & tribunali Admiralitatis
Hollandiæ duplicalitigantibus partibus non est permis-
sa. Loccen. *de Iure marit. lib. 3. c. II. §. 2.* Marquard. *de J.*
Mercat.

Mercator. lib. 3. cap. 7. §. 6. Add. der Stadt Lübeck Ordnung des Summarischen See-Gerichts Procesz. de Anno 1655. apud Marquard. docum. commerc. lit. X. 3. p. 704.

XXXVIII. Contraria societati huic est ejus disfolutio. Dissolvitur autem Admiralitas ferè iisdem modis, quibus reliquæ societas. Nam cum Admiralitas quoque uti societas pacata, vel in perpetuum ineatur, vel ad tempus. l. i. pr. D. pro soc. Non obst. l. 70. D. eod. Ea quæ ad certum tempus vel certæ navigationis causa contracta est, ipso illo tempore elapso & navigatione finitâ perimitur. l. actione 65. §. item qui 6. D. pro soc. §. 6. I. de soc. Ut adeò licet ab Admiralitate recedant, qui se illi tantum usque ad certum itineris spatium adjunxerunt. v.g. biß sie die Höhe erreichen: quiq; exinde diversum ab Admiralitate cursum instituturi sunt. Hamburg. Admiralschafft. Ordn. §. II. & 12.

XXXIX. Præterea ratione personarum quoq; solvitur Admiralitas. 1. Morte unius ex sociis Admiralitatis, quoad eum scil. qui mortuus est, & quoad hæredes ejus, non verò quoad alios socios Admiralitatis, l. 59. D. pro soc. l. verum est. 63. §. in hæred. 8. D. cod. Non obst. l. 65. §. 9. D. eod. §. 5. I. de Societ.

XL. Per mortem intelligitur non tantum mors naturalis, sed etiam mor̄s civilis. l. 4. §. 1. l. 63. §. ult. D. pro soc. Qualem tamen non videntur pati, qui à piratis capiuntur. l. 19. §. 2. D. de capt. & postl. revers. l. 24. l. 27. D. eod. Loccen. de Iur. marit. lib. 2. cap. 3. §. 3. Add. Grot. de Jure Bell. & Pac. lib. 3. cap. 9. §. 16.

XLI. 2. Ratione personarum solvitur Admiralitas renunciatione: si is, qui renunciare vult, justam causam renunciandi habeat. l. 65. §. 6. ibi: nisi renuntiatio ex necessi-

Contraria
Admiral.

ex necessitate quadam facta sit. Add. Hamburg. Admiralschafft-Ordnung. §. II. ibi: Es wäre dann / daß ein Schiffer so gar eylfertig wäre/ und der übrigen Schiffe nicht erwarten könnte. Et §. 13. Es sey dann/ daß einem ausserhalb Landes eine Fracht auf einen andern Platz fürkäme.

XLII. Tandem ratione rerum finitur Admiralitas , si classis vel naufragio absorbeatur, vel vi hostili opprimatur, dissolvaturque. arg. l. 63. §. ult. D. pro soc. quod non tantum de privata sed etiam de publica Admiralitate intelligi debet. vid. Grot. de Iure B. & P. lib. 2. c. 9. §. 1. & seqq.

Affinia.

XLIII. Similis est Admiralitati, de qua hactenus tractavimus 1. Coitio armata terrestris adversus prædones instituta; qua in primis illi uti solent, qui per loca deserta, adeoque latronum insidiis opportuna iter faciunt : quam Societatem Caravanne communiter vocant Turcicorum & Persicorum Itinerariorum Scriptores. 2. Cohortes militum ad conducendos mercatores & reliquos peregrinantes disporitorum , quos vulgo **Aufreuter** / **Stallbrüder** / **Einspänniger** nominant. Marquard. de Iure Mercator. lib. I. c. 13. §. 37. Aliquando **das lebendige Gesetz** dicuntur. Gail. obs. Præd. lib. 2. obs. 64. §. 1. Wehner. Thesaur. Præd. voce **Glaid**. Societas quælibet pacata sive terrestris sive navalis sit. Loccen. de Iure marit. lib. 2. cap. 2. §. 1. & lib. 3. cap. 6. Stypmann. de Iure marit. part. 4. c. II. §. 1. 4. Communio quorumlibet qui unà navigant, & rerum nomine quas in navi habent, Lege Rhod. ob iactum levandæ navis causa factum ad resarcendum communi contributione damnum obligantur.

I. I. D. ad L. Rhod. de jact. Statuta Hamburgensia p. 2. tit. 16.

Loccen. de Iure marit. lib. 2. c. 7. Marquard. de J. Merc. lib. 2. cap. 11. §. 37. ibi: **Magna seu grossæ Avarie instar.** & lib. 3. c. 4. §. 19.


F I N I S.

Strassberg, Diss., 1674-75


X2611022

V317





Farbkarte #13



14 DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
ADMIRALITATE
QVAM
DIVINI NUMINIS ADSPIRANTE
GRATIA
EX DECRETO ET AUTHORITATE
MAGNIFICI, AMPLISSIMI
ATQVE CONSULTISSIMI JURISCON-
SULTORUM ORDINIS IN INCLYTA AR-
GENTORATENSIMUM UNIVERSITATE

*Summis in Utroque Iure Hono-
ribus ac Privilegiis DOCTORALIBUS*
rite consequendis,

Solenni Eruditorum Examini submittit

Die 1^{er} Februarii hor. 1. ḡ consuetis.

FRANCISCUS VASMER,
HAMBURGENSIS.

ARGENTORATI,
Literis JOH. FRIDERICI SPOOR.
Anno M DC LXXIV.

KIENERIED
UNIVERS.
ZVHALLE